

**Disputatio medica inauguralis de leniorum medicamentorum eximio usu /  
[Brandan Diderich Behrens].**

**Contributors**

Behrens, Brandan Diderich, active 1688-1692.  
Meibom, Heinrich, 1638-1700.  
Universität Helmstedt.

**Publication/Creation**

Helmestadii : Typis Georg-Wolfgangi Hammii, [1692]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j5kttwrh>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

4  
25  
37  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE

LENIORUM MEDI-  
CAMENTORUM  
EXIMIO USU,

Q V A M

DIVINA FAVENTE GRATIA

CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMI ME-  
DICORUM IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA ORDINIS,  
PRÆSIDE

HENRICO MEIBOMIO, Med. D.  
EJUSDEMq; AC HISTOR. ET POES. PROF. P.  
ET ORD. FACULT. MED. SEN. AC h. t. DECANO  
SPECTABILI, NEC NON ARCHIATRO GUEL-  
PHICO FELICISSIMO,  
DN. FAUTORE, PRÆCEPTORE AC HOSPITE  
SVO ÆTATEM COLENDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI  
PUBLICO ET SOLEMNI ERUDITORUM EXA-  
MINI SUBJICIT

BRANDANUS DIDERICH BEHRENS, WOLFENB.  
Ser<sup>mi</sup> Ducis Rudolphi Augusti in aula ejus  
Brunsvicensis Medicus.

IN MAGNO JULEO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS. ad diem XX, Decembris.

HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.  
Anno MDCXCII,

3450  
  
*Serenissimo Celsissimoq; Principi  
ac Domino,*

DN. RUDOLPHO  
AUGUSTO

55450  
Duci Brunsvicensium atq;  
Lüneburgensium

*Domino suo Clementissimo,*

disputationem hanc inauguralem

*in signum devota mentis*

*ac humillimi obsequii*

*submissè offert*

Brandanus Diderich Behrens.

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO

DN. RUDOLPHO  
AVGVSTO  
DUCI BRUNSVIC. ET  
LYNÆBURG.

DOMINO SVO CLE-  
MENTISSIMO

HENRICUS MEIBOMIUS.



Agne RUDOLPHE AUGUSTE, Deo  
carissime Princeps,  
Et Pater, & Patriæ cura salusque  
Tuæ,

Accipe, quem missum, solito nunc more pro-  
batum,

Quâ Natura patet, quâ Medicina patet,

JULIA

**JULIA** restituit , magnorum filia **GUEL-  
PHUM**,

**JULIA** sic votis obsequiosa Tuis,  
Accipe , quem primus formavi ad Apollinis  
artes;

Ut placeat **Tibi** , **DUX** , si peto , justa  
peto,

Ut maris emensus decumanos navita fluctus,  
Æquoreis sacrat mollia thura diis,

Sic **Tibi** , qui studii **BEHRENSIVS** actus  
amore

Auspiciis vidit plurima regna Tuis,  
Et quæ sint gravibus medicamina commoda  
morbis,

Quæsiit , adjutus gratia ubique Tua,  
Suspendit tenues humili nunc mente tabel-  
las.

Accipe, Sunt Genii ditis & Artisopes.  
Curæ olim fuerunt Medici Regumque Ducumq; ;  
Fac , videar magni cura fuisse Ducis,

Et

Et placeat , Tibi quem nunc reddo , atque o-  
mine fausto

Propitium Numen sentiat usque Tuum.  
Sic nunquam indigeas Medici , aut, si id fata  
requirant,

Mox ejus prompta restituaris ope !



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

Second line of faint, illegible text.

Third line of faint, illegible text.

Fourth line of faint, illegible text.

Fifth line of faint, illegible text.

Sixth line of faint, illegible text.

Seventh line of faint, illegible text.

Eighth line of faint, illegible text.

Ninth line of faint, illegible text.

Tenth line of faint, illegible text at the bottom of the page.



I.



Uemadmodum omnibus fere notum est, varia esse ac diversa morborum genera, quibus humanum genus affligi solet: Ita neminem quoque temere latere potest, non unius generis, sed varia plane, ac multiplicia esse remedia illa, quæ ad abigenda tot tantaque mala hæctenus innotuerunt. Equidem *quondam* inquit *Senec. ep. XIV. medicina paucarum erat scientia barbarum, deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem.* Et verè quidem ad tam multiplicem remediorum varietatem pervenit; Ut enim jam non loquar de omnibus illis differentiis medicamentorum, quæ in scholis medicorum usitatæ sunt, illam tantum hic annotabo distinctionem, qua unius, ejusdemque, ut vocant, facultatis remedia, alia aliis fortiora & potentiora reperiuntur.

II.

Atque hæc distinctio uti in arte facienda magni est momenti, diuturno usu ejus confirmata, sic quoque exacte videtur respondere illi varietati, secundum quam morbos variare observamus. Etenim sunt inter illos alii aliis graviores, qui altiores præ



cæteris radices egerunt, difficulter eradicandi; Alii subito accedunt, & intra breve tempus terminantur, alii vero moras neſtunt, ac diutius durant, *ῥεσινωτ* propterea dicti, *quos tempus uti facit, ita etiam solvit dicente Celso l. 3. c. 2. Et in quibus non statim contemnatur, si quid non statim profuit.* Hinc igitur necesse fuit, ut tales etiam inter remedia adessent gradus, qui morbi vehementiæ responderent. Innuat hoc ipsum Galenus *art. Med. c. 18.* his verbis: *Cum equalia auxilia morbis esse debeant, si morbi extremi, aut acutissimi sunt, extremis Et maximis opus erit præfidiis.* Et *5. art. curati v. c. 15.* ita loquitur: *Si periculum est in mora, ab equalibus remediis incipiendum est, si autem in mora non est, à levioribus.* Notus quoque est Hippocratis aphorismus *6. sect. 1.* ubi extremis morbis extrema exquisitè remedia optima esse dicit. Cui consentit Celsus *l. 2. c. 11.* *vehementi malo nisi vehemens æque remedium succurrere non posse* judicans, quod ita generaliter non tantum de medicamentis, sed de diætâ etiam, & chirurgia intelligendum est, in qua ultima cum primis ejusmodi gradus observantur. *Quæ enim medicamenta non sanant, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea incurabilia sunt æstimanda, ut est apud Hipp. VIII. 8.*

### III.

Præter vero morborum magnitudinem aut parvitatem, facilius deprehendendas, Medici in primis ad humores, qui morborum causæ sunt, attendunt, contra quos ipsis pugnandum est, si tollere illos velint. Sunt

Sunt autem humores isti admodum diverſi, cum ratione ſuæ texturæ, dum alii tenuiores & fluidiores facileſque mobiles, alii craſſiores, fixioresſque & minus mobiles ſunt: tum ratione loci, in quo hærent, ex quo moveri & educi facilius aut difficilius poſſunt, ut prolixius Medici, ubi de cauſis morborum agunt, docent. Illæ vero varietates varietatem quoque remedii indicant, nunc lenioris, nunc fortioris, quale quod, omnibus probè conſideratis, ſeligere, prudentiæ imprimis Medicæ eſt.

#### IV.

Hoc autem quamvis ordinarium ſit, & à natura quaſi ipſa monſtratum, ut per gradus in Medicîna fiat progreſſus, ſic, ut à minus potente ad potentius tandem remedium perveniatur; non tamen ultima illa, ut efficaciæ, ita etiam majoris utilitatis eſſe cenſenda ſunt. Nam videmus ſæpe lene quoddam remedium, debito modo ac tempore exhibitum, ejuſmodi edere effectum, quem non niſi à potentiore quovis remedio exſpectare poteramus, imo hæc ab illis in effectu proficuo edendo ſæpe ſuperari, etiam in magnis morbis, obſervamus. Non eſt igitur ubique fortium illorum neceſſitas, ſed habita ſubjecti, circa quod verſatur Medicus, ratione, (id quod non corium, non ligna, non lapides, ſed corpus humanum eſſe, monet *Galenus*) prudentiæ & conſcientiæ ratio jubet, ut tutioribus potius, qualia ubique mitia illa ſunt, agamus, quàm fortibus & fortiffimis, quibusque non niſi ſemel peccare in eodem corpore licet. Quin juxta

ipfius prudentiæ leges, turpe eft difficiles habere labores, & quod leviffima opera poffis, non nifi magno conatu agere. Ridiculus fane efferet, qui quod manu propellere & elevare poffet, amplo machinarum apparatu movere & projicere niteretur. Et videmus plumam sæpius aliasque fordes lævi manu, aut molli madidove linteolo tolli melius poffe, quam machinulis operosè paratis : Parumque abeft, quin idem in corpore humano evenire dicam, quod cum levibus in ftatu fuo naturali confervari, & ad eum reduci queat, fortioribus citra ullam neceffitatem urgetur, quæ ipfa sæpe numero non parum nocent.

#### V.

Neque vero tantum fubjecti, tanquam nobiliffimi, & in quo peccare non liceat, generalis ratio à Medico habenda, ne vel citra neceffitatem, vel temere fortioribus medicamentis id aggrediatur; Sed ipforum hominum magna varietas ratione ætatis, fexus, regionum etiam diligenter perpendenda eft. Illorum enim ratione ipfi humores quoque valde variant, & vel vifcidiores funt & fixiores, vel tenuiores & facilius mobiles, ac ad effervescendum proni, id quod à pluribus Medicis etiam monetur, & à plerisque attenditur; minustamen, quod nunc dicam.

#### VI.

Cum fcilicet omnia, quæ interne dantur medicamenta, ad ventriculum primò, & inteflina perveniant,  
qualis

qualis illorum constitutio & sensibilitas fit, diligentissimè perpendendum est, ne exhibito inconvenienter medicamento, non illis tantum, sed toti corpori noceamus. Variare autem hanc in primis ratione memoratorum, ætatis, sexus & regionum, certissimum est. Infantes saltem & pueros si consideremus, in iis manifestissimum hujus rei specimen habemus. Quamvis enim nullo modo probabile sit, in illorum ventriculo & intestinis tam acres humores esse, quam in adultorum, tamen in illis ex humoribus inferioris ventris tam acutos dolores, & dein convulsiones epilepticasque oriri deprehendimus, in adultis non item, aut certe rarissimè, quod non aliunde dependet, quam à molli & tenera magis textura tunicarum ventriculi & intestinorum. Quis non igitur illis præ adultis acria dare metuat? Sic quoque in fœmineo sexu, cum omnia delicatiora natura formaverit, ut in externis, ita quoque in internis sensibiles magis & teneriores membranas esse (nisi aliis de causis & consuetudine tandem immutentur) certum est, ut facilius proinde ab humoribus pariter & medicamentis acrioribus afficiantur. Pro regionum quoque diversitate variare constitutionem ventriculi & intestinorum, nullum est dubium; Sive sapientissimus Creator, ut in aliis locis tenerioris & delicatioris texturæ plantas, in aliis crassioris & solidioris pro ratione cœli produxit, ita quoque hominibus ventriculi & intestinorum texturam ratione regionum variare voluit: Sive ab aëre & victu & modo vivendi id dependet, hincque etiam secundum tempora variatur, ut præclare observavit doctissimus *Pecblinus exercit. de purgant. c. 15.*

VII. Nam

## VII.

Nam & in eodem homine ratione victus & collectæ pituitæ in ventriculo & intestinis contingit, ut perferre medicamenta possit, quæ aliàs non potuit, quæque dein, sublata beneficio medicamentorum pituitâ, non potest. Quam rem imprimis illustrat exemplum à *CL. Dn. Præfide* mihi narratum, juvenis, qui cum à Medico appetitus excitandi causa spiritum salis per integram hebdomadam usurpasset nullo nocumento, & dein matutinis horis vomitorium ab Empirico accepisset, circa vesperam vero ejusdem consilio Spiritus Salis consuetam dosin assumsisset, in horrendos ventriculi cruciatus, tota nocte vix sopiendos, incidit, non alia, sine dubio, de causa, quam quod ventriculus à vomitorio recenter deterfus, acrem salis Spiritum, nullâ antea noxâ assumptum, pati non posset & ab illo graviter afficeretur. Quo pertinet & illud, quod jam tum *Hippocrates*, & post eum multi præclari Medici, *Fernelius Septalius*q; monuerunt, iniis, quibus ventriculus admodum sensibilis est, non ita tuto dari Vomitoria jejunis, sed post cibum sumtum, quos etiam feliciter & cum approbatione ægrorum, qui difficillimos antea jejuni habuerunt Vomitus, se secutum testatur *CL. Dn. Præses*.

## IIIX.

Fortassis vero non minus aliorum viscerum, quam ventriculi & intestinorum variat textura, eaque  
non

non minus in exhibitione medicamentorum à prudente Medico consideranda est. Id certe docet quotidiana experientia Medicos, qui ad minima quæque attendunt, nonnullos acrioribus medicamentis, imo cibis quoque assumtis, ad tussum concitari, alios ab iisdem, majori etiam copia haustis, non item affici, quod è priorum peculiari & subtiliori pulmonum & asperæ arteriæ constitutione dependere, dubitari vix potest.

### IX.

In tanta igitur corporum humanorum varietate, quam interdum quidem cognoscere, aliquando difficulter aut plane non licet, annon rectius ægris suæque famæ & conscientiæ consulunt, qui tutiori via incedunt, & non temere ad fortia prolabuntur, sed lenioribus ac mitioribus omnia prius experiuntur, & ipsa potius corpora, eorumque humores, si à lenioribus medicamentis minus afficiantur, ita præparant prius, ut illis dein sese submittant quoque? Quod enim multi de purgantibus dicunt, crassos, fixos & viscidos humores non levia, sed validiora indicare, id absolute verum non est, cum tales humores ferè non indicent purgationem, sed potius debitam præparationem, cujus beneficio tenuiores, fluidiores, & magis mobiles reddantur, quos tum quidem mitiore quoque educere medicamento licet.

### X.

Decrevi igitur his thesibus de leviorum medicamento-

B

mento-

mentorū eximio usu quædam differere , & publico examini subicere , cumque inprimis circa purgantia , evidentioris effectus medicamenta, is observari mereatur , de his paulo fufius agam , non quidem ita, ut illa , quæ potentiora remedia dicuntur , plane extra artis usum rejicere velim , sed ut ostendam, non tantum lenioribus in plurimis morbis & corporibus manere suam laudem , sed hæc frequenter utilitate, ut semper securitate , superare illa, quæ fortius operantur. Per lenia autem medicamenta hic non tantum intelligimus proprie dicta lenientia, à leniendo, five leni operatione per alvum nomen suum habentia ; sed in genere illa remedia , quæ non tam fortiter, nec tanta vehementia , aut tam violento modo, cum magna & turbatione corporis & colliquatione operantur & agunt, quam alia ejusdem naturæ. Uti ex: gr: inter purgantia Manna aut Rhabarbarum lenius agit , quam Scamonium aut Colocynthis, & aqua tepida aut oleum olivarum non tam violenter vomitum movet , quam folia Afari aut Antimonium. Cumque differentia hæc tam in simplicibus quam in compositis observata sit, neque hæc excludere animus est, sed de illis idem judicium feremus.

## XI.

Circa purgantia ergo, ut de illis primo loco agamus , distinctio illa , quam antea innuimus , cum primis occurrit, & ab omnibus qui Medicinam faciunt merito observatur. Sunt namque inter illa quædam  
miti-

mitiora, alia mediocria, alia vero fortiora, quæ distinctio non hodie primum nata, sed veteribus jam nota fuit. Equidem non ignoro esse, qui existimant, veteres plane caruisse levioribus hisce purgantibus, quæ hodie mitiora aut lenientia vocantur: Attamen falsam esse hanc opinionem, vel inde patet, quod *Hippocrates* jam tum mentionem illorum fecerit, ac peculiari nomine μαλακώτερα vocaverit illa, quæ leniter evacuant corpus, reliqua φάρμακα καθαρτικά, aut κατ' ἐξοχήν φάρμακα appellaverit, ut videre est in *l. IV. de morb. §. 31.* & Galenus mitiora purgantia appellavit ὑπήλατα ἐπιεικέα *l. I. de art. curand. ad Glaucon. c. 10.* Horum autem usum frequentem fuisse Galeno indicant συρμαισμοὶ ejus quos in usu habuit, ut videre est in *comm. ad lib. Hipp. de articul*: qui non nisi mediocres evacuationes ex lenientibus & abstergentibus erant. Posteriori autem ævo lenientium usum frequentem fuisse, magnique illa æstimata, vel illud indicio esse poterit, quod Benedicta illa vocaverint, naturæ scilicet tam amica, ut nullam post se noxam trahant, ac indemnia sint, planeque innoxia, à Deo quasi benedicta, & revera Θεῶν χεῖρες, uti medicamenta appellat *Galenus*, ex quibus benedicta laxativa, & pilulæ benedictæ nomen suum adhuc habent.

## XII.

Veteribus igitur non incognita fuisse lenientia remedia, secundum methodum, etiamsi non secundum



dum omnem materiam, ex modo dictis satis puto elucescere. Neque difficile jam esset ex scriptis eorum, in specie hic proponere simplicia illa, quæ ad hunc finem adhibebant, ni brevitati studere animus esset. Ex *Celso* tamen vel unicum illud testimonium hic proferemus, quod est *lib. 2. c. XII*. Ubi cum eleganter pro more suo recensuisset medicamenta illa, quibus veteres dejectionem commoverint, & fortiora proprie dicta purgantia enarrasset, addit *illos quoque dedisse lac vel asininum, vel bubulum, vel Caprinum, cui parum salis adjiciebant, decoquebantque, & sublatis his quæ coierant, quod quasi serum supererat, bibere cogebant*. Quæ verba, per se evidentia, nunquam in dubium vocabuntur ab illis, quibus emolliendi & laxandi vis, quæ lacti & imprimis sero ejus inest, nota, quæ non exigua, aut levis est, sic, ut *CL. Pecblin: exercit: de purg. c. 32* viri exemplum referat, qui *lacte semper usus fuerit tamquam gravissimo cathartico*. Pergit autem *Corn. Cels. eod. cap.* alium modum proponere, quo veteres usi fuere in ducenda alvo. Fiebat id mediante aqua calida, *quam ante aliquot horis bibebant, ut superiores corporis partes madescerent: tum, verba sunt Celsi, immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus, pura, si paulo valentiori, mulsæ, fileni, aqua in qua fœnum Græcum, vel ptisana, vel Malva decocta sit*. Qui modus convenire aliquo modo videtur cum hodierna illa tam frequenti ubique consuetudine, qua calidam, herbæ Theæ, vel alii plantæ affusam, multis poculis haurimus. Hanc enim calore suo actuali viscera penetrare, ac vi sua qua pollet emolliente alvum lenire, in plurimis obser-

servamus. Sic apud *Galenum in libris de simpl. medicam. facultat.* frequenter fit mentio juris lentium & brassicæ, hunc in finem ab ipso adhibiti. Atque alia plura hic proferre possemus, ni ejusmodi enumeratio nimis longa foret,

### XIII.

Videntur autem pleraque hæc veterum medicamenta quæ ad alvum leniendam adhibuere, actuali tantum humiditate atque lubricitate alvum solvisse, ac retenta in primis viis emolliendo, apertam eam, servasse, sic, ut præcipua eorum operatio constiterit ἐν τῷ διυγραίνειν τὴν ἄνω καὶ κάτω κοιλίην, *in humedando ventriculum sursum & deorsum juxta Hipp. l. I. de affection. t. XXIX.* non secus ac hodie infusiones, ac decocta laxativa, malvacea, item juscula pingua effectum suum edunt. Insequentibus tamen temporibus alia medicamenta in usu esse cœperunt, leniter quidem agentia, fermentando tamen magis, quam humedando, per Arabes in primis inventa. Illis enim Tamarindos, Cassiam, Mannam, Rhabarbarum, Sennam ac alia ejusmodi benedicta, ut Rhabarbarum *Mesule* vocat, debemus, quæ pro leniendi scopo usitatissima æque ac commodissima sunt, longo artis usu abunde approbata. Sane doctissimi quique Prædici inquit b. *Conringius introd. in med. c. XI. 10.* qui post annum millesimum, ducentesimum, ad millesimum quingentesimum usque floruerunt, peculiaria eaque varia medicamenta usurparunt, qualia apud veteres & Græcos & Latinos nunquam in usu fuere. Qui autem circa  
B 3 illa

illa tempora vixere omnia ab Arabibus haufère, utpote apud quos paulo ante illa tempora, à *seculo IX usque ad XIII Medicinam tum in Asia, tum in Africa tum in Hispania ipsa refloruisse, idem vir doctissimus docet. l. c. c. 3.*

#### XIV.

Hic jam amplissimus sese offerret campus figillatim differendi de levioribus purgantibus, tum modo enumeratis, tum aliis etiam, quæ experientia comprobavit. Sed fatius erit generaliter hic primum annotare utilitatem illam, quam ejusmodi remedia habent præ cæteris fortioribus & proprie dictis purgantibus. Quod ipsum ut *εὐμεθόδως* fiat, videndum primo erit, quid noxæ forsan afferre possint *Φάρμακα* illa *καθαρτικὰ*, sic enim melius deinde elucescet, quid de contrariis judicandum sit.

#### XV.

Purgationem olim omnem jam ante Galenum è foro Medico extrudere conabatur Asclepiades; Eum enim *Cornel. Celsus l. 1. c. 3.* testatur *ἔς vomitum rejecisse ἔς purgationes expulisse, in illo volumine quod de sanitate tuenda composuit.* Nec nostro ævo defuère qui eo processère, ut purgantia remedia plane damnaverint ac proscripserint. Fecit id Helmontius, & cum eo adhuc hodie plures chorda eadem oberant. Non est instituti nostri, amborum argumenta  
hic

hic aut proponere, aut refellere, accuratè enlm illud jam fecit supra nominatus πολυμαθέςατος *Conringius in dissert. de purgatione.* Tantum autem abest, ut & nos eandem sententiam foveamus, ut potius cum *Celso l. c.* respondeamus *Esse quidem has (sc. purgationes) perniciosas, si nimis valentibus fiant medicamentis; sed hæc tamen submovenda esse, non esse perpetuum, quia corporum temporumque ratio possit ea facere necessaria, dum & modo & non nisi cum opus est adhibeantur.* Cum enim quotidie fere in corpore nostro ex variis causis copiose generentur noxii humores, qui sui extirpationem necessario indicant, quis non videt ex eodem removendam esse talem saburram, si amissam sanitatem restituere velimus? Id quod cum sæpe optime purgatione fiat, utique ipsi manet sua & utilitas & necessitas, nec cæteri evacuationum modi, per diuretica nempe aut sudorifera (quod forsan objici hic posset) vices purgationis sustinere ubique possunt.

## XVI.

Purgationem igitur omnem simpliciter nunquam damnabimus, sed tantum de illius damnis agemus quæ per validiora fit remedia. Equidem primo intuitu levis admodum res esse videtur, purgationem instituire aut alvum movere, sic, ut cuivis vel *Agyrtæ*, vel tonsori perfacile videatur catharticum exhibere; Verum quale id esse debeat, quo tempore ac modo dari conveniat, non parvi momenti considera-

deratio est. Cognovit illud jamdudum *Hippocrates*, dum in princip. fragm. de purgant. ita inquit : τὰ περιὰ φαρμάκων ἔχ' ὅσα νομίζονται , ἐστὶ : Res circa purgantia non ita se habent , uti vulgus existimat. Nec desunt passim in scriptis ejus exempla infelicium successuum qui temere exhibitum purgans insecuti sunt. In primis autem optime exponitur noxa fortiorum purgantium in loco illo , quem idem noster affert l. IV. de morb. §. 31. edit. Lind. sic dicens : Quæcunque medicamenta purgantia sunt, aut superne, aut inferne, aut utroque modo id faciunt : Omnia, pergit, urunt valde & fortiora quidem, si aliquam teneram corporis partem attingerint, exulcerant eam, mitiora vero turbulentum corporis motum faciunt, quodcunque occupaverint. Cujus loci sensum quam optime expendit CL. Pancratius Bruno, Med. D. & PP. in Noricorum Altdorffina academia dignissimus, meus olim Præceptor & fautor omni honore prosequendus, in quinque illis dissertationibus quas de remoris & impedimentis purgationis conscripsit, in quibus adhuc plura alia reperire licet, quæ ad hanc materiam faciunt.

## XVII.

Equidem videri posset Hippocrates in allato loco omnia simpliciter damnare purgantia, tam fortiora, ἰσχυρὰ ipsi dicta, quæ exulcerare notat, quam μαλακώτερα, quæ turbulentum corporis motum efficere ait. Sed diximus jam supra in thes. VII, mitiora illa purgantia, quæ nobis hodie in usu sunt, Hippocratis ævo non

nondum fuisse cognita, sed ab Arabibus demum ad nos derivata, de quibus proinde loqui non potuit. Nequè etiam probabile est per mitia eum intellexisse ea, quæ humectando tantum agunt, supra nobis exposita. Si ergo nostrum hic iudicium afferre fas est, per mitiora Hippocrates intellexit purgantia sua fortiora, sed arte correctæ & mitiora reddita. Notum enim est illo tempore Hellebori usum fuisse frequentissimum, cui tamen ferociam suam omni modo adimere studebant, quod passim in scriptis veterum videre licet. Sic *in ep. Hipp. de Veratr. purgat. veratrum aceto mulso tritum minus strangulare*, dicitur. Idem etiam *in lib. de fractur. ἔλλεβόρου μαλθακῶς* meminit, quem ex præparatione ita dici, cui mollitiem conciliaverit frequens humor, non secus ac hodie fit aceto squillitico, existimat *Pechlin. tr. de purg. c. 24.* simile quid cum reliquis valentioribus purgantibus tentarunt. Sic *Galenus l. 1. de alim. fac. c. 1.* malum cydonium scammonio impletum igni imponit, & ita medicamentum hoc correctum offert, uti adhuc hodie Diagridium fere paratur per impastationem, Italis familiarem. Nostra ergo leniora purgantia libera erunt ab hac nota, neque enim hæcenus experientia innotuit, quod motum corporis turbulentum faciant, modo sic adhibita fuerint uti debent. Alias enim & de his verum erit, quod de omnibus purgantibus indiscriminatim profert *Cous nosler, frag. de Purg. εἰκῆ καὶ ἀμελῶς δίδόμενα ταράσσει τὰς ἀνθρώπους καὶ νοσοποιεῖ πῶς; temere & negligenter data turbant homines & in morbos quodammodo conjiciunt,* Per accidens etiam aliquando contingere potest, ut

leniora fortissimè agant, ut exemplis Mannæ, Cassiæ, Syrupi rosarum constat: qualia exempla, à Medicis annotata, sub regulas artis non cadunt.

### XIIX.

In genere autem de validioribus purgantibus pronunciat, exulcerare illa dicens Hippocrates: Quæ verba an ita propriè sint intelligenda, ac de omnibus in universum id verum sit, nos equidem non disquiremus, contenti vel illud hic asseruisse, validiorum usum & suspectum & periculosum esse. Venenosa equidem illa cum *Fernelio* non appellamus, qui *lib. 2. de abditis rer. caus. c. 15. purgantia* (metallica in primis) *nonnihil veneni reconditum habere*, asserit. Nec affirmabimus simpliciter cum *Helmontio*, *purgantia putrefacere, & nunquam mundare aut purgare*; Non negabimus tamen malignitatem forte aliquam esse in illis validioribus purgantibus, & sub specioso nomine virulentiam nocivam gerere absconditam. Quod ipsum in specialioribus demonstrari facile posset, nisi instituti nostri ratio id prohiberet. De metallicis cum primis hæc est & semper fuit Medicorum querela. Sic *Crato Consil. 185. apud Scholtzium* *metallica venenata non trabendo, non segregando bonum à malo, sed maligna qualitate omnia turbando purgare, vero consentaneum esse dicit.* Et *Sennertus præf. ad lib. 1. præf. Medic.* scire se, inquit, *quam multis eorum usus infelicitè cesserit, etiamsi diligentissimè præparata fuerint; Illorumque usu pergit, aliquos non solum in vitæ discrimen coniectos; sed & plane vitæ privatos mecum multi norunt.* Vegetabilium interdum eadem est ratio;

tio; Sic ab Helleboro convulsiones jam tum *Hippocrates* notavit. Gialappa hypercatharsin lethalem commovit apud *Bartholin. Cent. 5. hist. 69.* Ab alio purgante *Poterius* hydropem ortum esse notavit *Cent. 2. c. 29.* Ab alio drastico guttam serenam inductam observavit *Sennert. prax. med. l. 1. part. 3. c. 36.* Et quæ sunt sexcenta alia ab autoribus observata, sententiam nostram abunde probantia.

### XIX.

Objici autem hic posse video, infelices illos eventus, qui usum drasticatorum subsequuntur, per accidens plerumque contingere, nec ipsis remediis hoc imputandum, sed illis qui hæc aut male præparata, aut nimia in quantitate, aut modo ac tempore minus decenti exhibent, & posse idem aliquando in mitioribus medicamentis contingere, ceu supra fassus sum. Equidem fateor, sæpius rem ita se habere, cum quotidiana doceat experientia quanti errores in exhibitione horum purgantium committantur, quotque funesti casus hæctenus observati fuerint ex inconsiderato illorum usu oriundi. Attamen citra talem commissum errorem alia adhuc adsunt argumenta, quæ satis probant incommoda ejusmodi purgantium, & noxas inde metuendas. Quamvis enim injusta ac legitime usitata dosi illa exhibeas, (uti prudentem Medicum apprime decet) vix tamen sine torminibus alvi, quasi spasmodicis, effectum suum edere illa observabis. Quod ipsum æqualiter tam in ægris quam in sanis fit, licet etiam aliquando correctivis suis munita sint.



Quantum vero incommodum Massæ Sanguineæ afferant, quomodo vires dejiciant, illis notum est, qui frequenti & copiosa inde oborta dejectione bonos æque ac malos succos corporis sui deponunt. Neque enim credibile est, ea omnia, quæ ad 20. vel 30. nonnunquam sedes prodeunt, antea in corpore illo modo fuisse, sed immoderata ac nimia colliquatione nutritios quoque succos è corpore tanta copia eliminari. Unde fit ut multi ægri cane pejus & angue purgantium usum fugiant, à vehementibus illis tam misere aliquando torti & exinaniti, persuasique omnia agere eadem vehementia.

## XX.

Non immerito itaque validiora purgantia, drastica alias dicta, uti sunt Helleborus uterque, Colocynthis, Esula, Gummi Gotte, & imprimis quæ ex mineralibus parantur, vere ἐλατήρια aut deleteria potius appellanda (quorum omnium catalogum hic contextere extra propositum nostrum esset) propter vehementiam suam metuenda sunt. Taceo jam infinitos dari casus, in quibus drastica nunquam usurpari possunt ac debent, alvus tamen movenda est. Quis enim *ex. gr.* in acutis febribus drasticum exhiberet sine magno ægri discrimine? Ibi tamen quantum in principio interdum profit blandum ac lene purgans experientia docet. Nec minus in intermittentibus die intercalari leniora purgantia optima sunt, fortiora non item. Quod si deinde quis tentaret drastico aliquo corpus evacuare in diarrhoeis & dysenteriis, quantum

tum quæſo in periculum adduceret ægrum ? Ne dicam de hypochondriacis aut fœminis ex utero laborantibus , quibus draſtica sæpe non, leviora vero purgantia cum *εὐφορία* dantur. In ſcorbuticis quoque recte ab experientiſſimis Medicis annotatum eſt, *Wiero* imprimis, non convenire purgantia fortia ſed lenia, & primas vias præcipue mundantia , aut humores, in plurimis ſua ſponte efferveſcentes , educentia. Quo pertinet *Ampliſſimi Conringii* obſervatio in ſereniſſima & Potentiſſima Sueciæ Regina vidua , prudensque & cautum ejus conſilium. Quod ſi jam ulterius quæramus an pueris , an ſenibus, an gravidis conveniant fortiora purgantia , omnes uno ore fatebuntur , ſummo ſtudio illa eſſe vitanda , mitiorum vero purgantium uſum valde proficuum eſſe in ejuſmodi ſubjectis , utpote quæ ſine periculo & moleſtia ſubducunt alvum.

## XXI.

Ex his vero ſatis jam clarum erit quæ in commoda fortioribus purgantibus juncta ſint , quam tuto contra , & cum ſumma utilitate leniora purgantia dari poſſint. His enim exhibitis ſecurus eſſe poteris ab omnibus iſtis periculis quæ alias metuenda ſunt, nec unquam , aut certe rariffime obſervabis ullam hæc relinquere noxam , ſi legitime adhibeantur , ut à prudenti Medico ſemper fieri debet. Aliàs quidni & hæc ipſa in exceſſiva doſi exhibita, hypercatharſes moverent, aut debilem redderent ægrum ? Aut cur non poſſet aliquid in corpore , quod

eo ipso tempore', aut à leni pharmaco, simul motum accipiat, Medicis insciis contineri? Aut alias ex accidenti, aut quadam *ιδιουγκρασία* in ægro accedente, præter suum morem agere. De Aloe in specie notum est, illam neutiquam convenire his, qui sanguinis fluxui aliquo modo sunt obnoxii, & proinde in illis aliquando nimium posse excitare. Hæc tamen & similia rariora sunt, nec talia, quæ evertere possunt leniorum purgantium usum, à quibus convulsiones & similia, Hippocrati ipsi memorata symptomata oborta fuisse, nemo temerè observavit.

## XXII.

Verum sunt hic qui objiciant, valida illa & fortia purgantia, sive ex herbis, sive ex metallis, ita posse præparatione, variis corrigentibus adjectis, domari & cicurari, ut instar mitiorum & lenium medicamentorum, citra omnem noxam agant, & corpus expurgent citra magnum tumultum & commotionem. Posse etiam dosi imminuta illorum operandi vim ita minui, ut lenia evadant. Accipimus autem id primo utraque manu, ipsos agnoscere, valida illa & fortia non convenire humano corpori propter gravissimorum symptomatum periculum, ideoque corrigenda & præparanda ita esse ut mitia fiant, & corpori humano magis apta. Quomodo & Helleborum præparare veteres conati sunt, & *Helvicus Dietericus* testatur se Helleboro nigro, suo modo cum ferro præparato, apud infantes tutissime uti. Cum scammonio & Antimonio eodem modo egerunt. Verum  
cum

cum tam multa lenia securissima ad manum sint quibus in corporibus quibusvis & morbis plerisque uti possimus, quæ necessitas cogit nos, fortiora illa & acria ita præparare ut tandem mitius aliquod, dubio adhuc eventu, nanciscamur? Quis ita suæ sanitatis negligens, ut, si bonorum & salubrium ciborum copia fit, malos & insalubres præparatione operosa bonos & salubres in suum usum reddat? Eadem vero medicamentorum ratio est.

### XXIII.

Quod autem de dosi additur, ac si illa imminuta, vis quoque illa fortiter agendi mitescat, non omni ex parte verum est. Nam licet Helleborum, scammonium, Colocynthidem ea dosi des, ut non copiosius purgent quam vel senna, vel Manna, vel Rhabarbarum, tamen alio agendi modo priora illa magis, posteriora mitius afficiunt corpus, ventriculum in primis & intestina, unde fit ut posteriora frequentius, non debilitato ægro, priora autem non toties iterare sine virium jactura queamus. Neque enim quantitate majore vel minore excretorum æstimanda est fortitudo vel lenitas purgantis. Ut enim ab acidulis, licet copiosissime, repetitis vicibus educant, non tamen corpus resolvi & vires perire videmus, sed per aliquot hebdomades citra noxam eas continuari. Ita quoque lenia medicamenta, sæpius & multum licet educentia, non tamen notabiliter corpus lædunt, & reiterari citra noxam sæpius possunt, contra quam in fortioribus usu venit, quæ interdum non magis copiose evacu-

evacuant, longè tamen magis debilitant, ne de gravi-  
oribus periculis loquar.

#### XXIV.

Interim si purgantia fortiora cum multis aliis le-  
nioribus in parva vel minima dosi misceantur, sequun-  
tur quodammodo reliquorum additorum agendi mo-  
dum, & stimuli loco tantùm sunt, vehementiam ve-  
ro suam exserere nequeunt. Aut igitur corrigitur  
leniori medicamento fortius, quomodo de Manna  
*Cbristoph. Guarinonius Consult. Med. 28.* loquitur:  
*Tantum Mannæ, inquit, semper impono libenter, quo  
medicamenti malignitas diluatur, & abstersione humoribus  
injuncta, facilius purgatio fiat, & mihi certe bene semper  
respondere observatum est:* aut leniora fortioribus, ut  
recentiores commodè faciunt in Tartaro cum Diagri-  
dii aut gialappæ refinæ granis aliquod acuendo. Et  
hic modus omnino probandus est. Uti etiam supra  
dixi respiciendum esse omnino ad ventriculi & inte-  
stinorum sensibilitatem notabilem, ne acris tum u-  
tamur, ita contra contingit, ut (quod in apoplecticis  
sæpius observari me monuit *CL. Dn. Præses*) sensus  
naturalis quodammodo in illis pereat, ut à levibus me-  
dicamentis nullo modo moveantur quæ proinde acrio-  
ribus rectè stimulari, ratio suadet, ac usus docet, non  
in illis tantum quæ supernè assumuntur, sed & iis quæ  
per clysteres injiciuntur.

#### XXV.

## XXV.

Porro vero de usu mitiorum purgantium id primo tenendum est, illa etiam in illis morbis convenire, ubi validioribus purgantibus non est locus, purgatio tamen necessaria est. Quam sæpe autem ejusmodi casus dentur, jam supra innuimus. Imo, si loqui velimus de secura illorum adhibitione, adhiberi possunt in quovis morbo. Equidem non opus est dare illa in omni morbo, ast possunt prævia indicatione ubique dari, cum alvum apertam tenere in quovis morbo utile sit. Quod si deinde secundum *Hipp. aph. 26. Sect. 1.* ea medicamina magni æstimanda sunt, quæ facile feruntur, hæc nostra sane optima erunt, utpote quæ vires facile ferunt, quæque in omni ætate, sexu & morbi tempore dari tuto possunt.

## XXVI.

Melius autem adhuc innotescet quid de mitiorum purgantium utilitate judicandum sit, si illa quæ supra enumeravimus, in specie & sigillatim paulo consideraverimus. Equidem si omnia illa quæ de his hæctenus experientia innotuere, adducere hic vellemus, vereor ne limites excessura esset dissertatio nostra, ideoque pauca tantum de singulis annotabimus.

## XXVII.

Aloes succum concretum, qui ex Socotra Insula nobis hodie affertur, antiqui jam tum magnis

D

enco-

encomiis celebrarunt, & Galeno quoque cognitum fuisse constat ex variis ejus locis; In primis VIII, *de composit. med. c. 2.* habetur ab illo *pro tali medicamento, quod vim balsamicam, corroborantem, laxativam* obtineat. Et sane post illa tempora, ad hæc nostra usque satis etiam innotuit, quam proficius sit ejus usus, leniendi fine adhibitus in hypochondriacis, inque illis qui ordinario tardam alvum habent, sic ut *Hoffm. l. 1. c. 8. de meth. med. illis, qui pillularum aloeticarum continu-um usum familiarem sibi fecerint, polliceatur illos non tantum à malo hypochondriaco, sed etiam ab omni artbritide securos fore.* Mirum autem est, quod in dura alvo plus afferat commodi in minori dosi datum quam in maxima, & quod spem frustrante vehementissimo purgante feliciter aperiat. Cognitum tamen etiam est per experientiam, vim quoque inesse aloeticis medicamentis referandi vasa sanguinea, hinc frequens illorum usus noxius est in illis, qui hæmorrhoides, cruentas dejectiones, aut alias hæmorrhagias metuunt, uti etiam gravidis ob eandem rationem, vel plane non, vel summa cum cautela danda sunt: *Confer. quæ de noxa è continuo usu pill. aloet. habet Forest. l. X. obs. 45.*

## XXIIX.

Rhabarbarum quoque merito suo inter mitiora refertur purgantia, ceu nobile medicamentum ob mittem suam & quasi limitatam purgandi facultatem, ut mirum sit, cur à *Ludovico in pharmacia sua* exclusum sit à medicamentorum selectu. Vis enim ejus alvum movendi optime videtur temperata levi adstrictoria facultate

facultate , ut ideo usus ejus admodum conveniat in dyfenteriis, aliisque ventris fluxibus, ventriculumque si quid aliud mirum in modum roboret, ita ut frequens ejus usus nil incommodi afferre, sed instar Medicinæ polychrestæ ac satis ex omni parte tutæ adhiberi possit. Notabili exemplo hoc confirmat *Montanus consil. à Scholtzio edit. ubi hydropicum refert continuo Rhabarbari usu restitutum ac ad seram inde senectutem deductum.* Hinc non injuria vocatum est benedictum medicamentum omni carens nocumento ab *Helideo de Paduanis in tr. Ms. de purgant. ut est apud Pancrat. Brun. in epimetr. ad differ. supra allegat.* In vermibus enecandis tum ob amaritiam suam, tum ob purgandi efficaciam commodissimum est medicamentum, uti etiam in hypochondriaco affectu omne absolvit punctum.

## XXIX.

Sennam antiquis ignotam, junioribus vero Græcis & Arabibus fuisse cognitam, communis est opinio. Hæc vero primarium fere occupat locum inter solutiva mitiora, maxime *εὐπρίστος* & tam usu frequentissima, quam in effectu securissima, quæ, ut *Celeberrimi Wedelii* verbis utar, *nunquam lædit, semper fere juvat, adeo benigna est & innoxia.* Potest autem hæc ob benignitatem suam ad quosvis morbos adhiberi in quavis ætate ac utroque sexu usualis, in gravidis, puerperis, febribus acutis & similibus, ubi reliquis purgantibus non est locus, sine ullo metu perturbationis ventriculi, quam quidam ex ejus usu oriri sibi



persuadent. Consuevit autem hodie basin constituere omnium fere purgantium decoctorum ac infusorum, utpote in qua forma quam optime datur. Memini me olim in Gallia observasse frequentissimum fuisse usum foliorum sennæ in cerevisia Anglica, aut vino pane intrito aliquamdiu maceratorum, ac ita usurpatorum, qui modus familiaris erat exteris, præcipue Germanis, qui ex victus mutatione alvum obstructam habebant, quæ ad hujus infusi usum solvebatur, nullo alias pharmaco cedens. *Id. v. apud Hoffmann. de meth. med. l. 1. cap. 8.*

### XXX.

Et Manna quoque Calabrina inter mitiora est purgantia, non secus ac Casia fistularis. Illa quidem corpus blande liberat ab impuris serositatibus, in pectoris affectibus, nec minus in nephritide conveniens si alvus movenda est. Quantæ autem sit efficaciam ac utilitatis, testari potest observatio *Riverii l. X. prax. Med. c. 1.* Aegrum enim ibi memorat post assumptos in Colico dolore triginta clysteres sine ullo levamine, sola Manna, in amygdalarum oleo exhibita liberatum fuisse. Paratur inde elegans potiuncula, quæ ob suavitatem suam, ac proficuum usum in infantibus ac delicatulis purgandis nota est, à *Mannagetta* Medico Cæsareo primum inventa. Casia Fistularis Italis valde familiaris est, utpote sine turba alvum movens, in calculo ac gonorrhoea maxime usitata. Nec minus etiam Tamarindi, & ex illis paratum electuarium cum foliis sennæ, leniter

ter admodum alvum ducit ac propterea in contumaci obstructione alvi, ad nucis juglandis magnitudinem sumtum sæpe profuit, hypochondriacis, scorbuticis, hysteriacis ac febricitantibus inprimis conveniens.

### XXXI.

Sed de singulis uberius hic annotare quid hactenus observatum fuerit, nimis longum foret, & putarem ego ex his jam abunde patere quo in pretio leniora purgantia habenda sint. sunt autem præter hæc & alia pene multa ex simplicibus parata remedia, quæ ad hunc scopum adhibentur, uti e.g. Verno tempore, qui prodeunt tenelli flores, omnium pene plantarum, facultatem possident leniter alvum movendi, quod de floribus Persicorum & Acaciæ inprimis verum est ac notum. Novi sane Illustrissimam & de tota patria bene merentem personam his ultimis summo cum emolumento semper purgari, absque ullis incommodis quæ ab aliis quibuscunque purgantibus alias experitur, infuso inde parato, quod instar Theæ paratum, bibit. Memini etiam, alium, qui tumore pedum œdematoso laborabat, non sine hydropis metu, suasu parentis mei, sambuci floribus eundem in finem aquam ferventem affundisse, atque hanc bibisse tanto emolumento, ut instar arcani dein medicamentum illud haberet, ac quoties purgare vellet, illo uteretur.

Cum igitur nobis ubique in promptu sint lenia ac tuta purgantia, quæ materiam peccantem possint blande ac sine ulla agitatione noxia subtrahere, melius sane erit illa in usum trahere quam alia fortiora purgantia. Equidem excipere quis posset objiciendo, hæc tamen Hippocratis ævo, & veteribus pene omnibus frequenti fuisse in usu, atque hinc nullum superesse dubium quin nostris etiam temporibus secure dari possint. Sed argumentum hoc parum facit ad damnanda nostra leniora, & quæ ad illud eluendum faciunt adducta jam sunt à *Pecblino ex. de Purg. c. 26* Notat enim ibidem nec veterum nec aliarum nationum legibus hic stricte esse obsequendum. Cum enim tot labentibus seculis alia regionum corporumque constitutio sit, nos sub alio cælo habitantes, ac corporum nostrorum patientiam expertos nostris hodie rebus medicamenta accommodare utique debere. Quemadmodum enim olim Aegyptios, menstruis suis *συνμασμοις* deditos, Græcorum purgationes offenderunt, illisque non nisi levia ac lenitiva pharmaca profuerunt; Quemadmodum etiam hodie Itali atque Galli molliores sunt, quam ut fortia purgantia sustinere queant: Sic & in nostra Germania multum interest inter hodiernæ ac antiquæ vitæ ordinem, ut & hujus incolæ Brassica potius & ebulo quam fortissimis quibusque purgentur, ut notat *Bartholinus in libr. de Medicin. Dan. & cum eo nominatus Pecblinus l. c.* Consuetudini ergo uti in omnibus, ita & hic quoque aliquid dandum est, semper tamen in mente hæerere debet il-  
lud

*Iud Senis nostri frag. de purgant. Turpis est calamitas,  
dato pharmaco hominem occidere.*

### XXXIII.

Quæ de purgantibus dicta hæctenus sunt, de Vomitoriis etiam ex parte intelligi possunt. Hæc enim inter se conveniunt sine generali, qui est naturam ad excretionem humorum vitiosorum irritare: Differunt sine speciali & loco evacuationis, dum illa deorsum, hæc vero sursum operationem suam exsequuntur. Hinc quoque non rarum est purgantis nomen tam Vomitoriis, quam proprie dictis purgantibus in veterum scriptis sine discrimine tribui. Neque etiam hæc qui plane rejicerent, defuere, dicentes, vomitus omnes plane contra naturam esse, ideoque nunquam ventriculum commovendum esse ad talem subversionem; His tamen omnibus præter tot seculorum experientiam, utilitatem Vomitionis persuadentem ac confirmantem, vel illud *Hippocratis* effectum quod est in *aph. 21. sect. 1.* opponimus: *Quæ ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda, per loca convenientia, utpote quæ natura interdum ipsa monstrat, interdum autem Medici prudentia, quænam sint, dijudicari debent.*

### XXXIV.

Quemadmodum autem *Hippocrates* jam tum *l. de affection. tit. 28.* Vomitum moderatiorem, ἐμετον εὐπεπέστρον opposuit ἐμέτω βιαίω violento: Sic etiam Vomito-

mitoria, ipsa experientia duce, sibi invicem opponi possunt, leniora nempe vehementioribus. Leniora quæ ad hunc finem usurpantur sunt aqua tepida vel sola, vel juxta *Celsi* præceptum *l. i. c. 3.* addito pauco Sale vel Melle, Oleum Amygdalarum dulcium, lac dulce tepidum affatim haustum, ficus itidem recentes larga manu ingestæ, & tepida aqua superbibita. Quo etiam referri possunt radices Raphani & Scyllæ, femina erucæ, ut & flores Genistæ acbuli, quæ omnia *εὐπρίσα* sunt, & delicatulis quidem ob dosin majorem præ aliis nauseabunda, effectum tamen eundem habent quam cætera ex Antimonio aut Vitriolo parata in exigua dosi, quæ hodie apud plerosque in usu sunt. Circa Antimonium tamen monendum, de exacta ac legitima præparatione certos nos esse debere, tutiora alias esse prius nominata simplicia, de quorum usu securi sumus. Sane quæ de purgantibus ex Metallis paratis motæ jam pridem sunt à Viris doctis querelæ, eæ quoque circa Vomitoria locum habent, & potest ventriculus in tam enormes motus concitari, ut tunicæ ejus dilacerentur, uti per sectionem deprehendit *Sanchez*. Sed de his plura adjicere nolumus, ad alia transeuntes.

### XXXV.

In diaphoreticis quoque & diureticis medicamentis distinctio hæc locum habere possit, licet in Medicorum scholis hæctenus non ita usitata fuerit, quoniam nimia quantitate & continuato usu in illis magis peccatur. *Rolsinccius* tamen *Ord. & meth. Med. spec.*

*Spec. l. VII. sect. 1. c. 2.* temperatiora & mitiora sudorifera à calidioribus & validioribus distinguit. Imo ipsum nomen diaphoretici remedii aliquo modo distinctionem quandam videtur innuere, distinguendo hæc à proprie dictis sudoriferis, quæ sub roscido sudore, conspicuo, illud quod noxium est foras expellunt, cum illa tantum per ἀθλον διαπνοήν blande discutiant halitiosa excrementa, transpirationem promoveant, & sanguinem ventilent. Quamvis autem hæc ultima non semper sufficiant, & certioris in gravibus morbis usus sint ipsa sudorifera, tamen talia magis deligenda sunt, quæ sudorem blande expellunt, sanguinem sine magna turba fluxilem reddunt, nec plane fundunt; aut colliquant. Ubi inter Vegetabilia cum primis hunc in finem excellit Carduus, qui Benedictus ex merito suo vocatur, Sambucus itidem & quod inde paratur Rob Illustribus etiam personis præ pretiosioribus usitatum, quod nunquam satis commendari potest. Ex animalibus sunt Oculi Cancris & Cornu Cervi, quæque ex eo parantur, aliaque passim commendata ab autoribus remedia. Est quidem ubi morbus, & totam M. S. inficientia miasmata, fortiora & diutius continuata remedia sudorifera, in Laconico quoque, exposcunt, ut de lue Venerea notissimum est, tamen à δρασιωτέροις illis & continuatis aliquamdiu sudoriferis, immanes sudores per longum tempus ægros afficientes obortos fuisse, notarunt præclari Medici, & uti à thermis sulphureis non raro *Platerus* id aliique observarunt, ita in Vicino quodam verbi divini ministro, aliquot mensium continuum sudorem, accepto ab Empirico quo-

E. pruzi. m. i. v. i. v. a. dam

dam pulvisculo deprehendit *CL. Dn. Præses*, & non sine difficultate, versis iterum ad alvum & vesicam humoribus, eum restituere potuit.

### XXXVI.

Diureticorum jam eadem fere ratio est: sunt enim inter illa quoq; quæ violentius stimulant, ut *Cantharides*, quæq; intrinseca quadam dispositione nimium præcipitant sanguinem, eumque fundunt. Quod ipsum mineralia faciunt aliaque acria & calidiora, quæ non ubique conveniunt, & sæpe plus noxæ, quam utilitatis afferunt, nimiumque urinæ fluxum concitant, quod post plurima diuretica & lithonriptica fieri egregiè notavit *Job. Mich. Paschal. in meth. curand. morb. c. 50.* Merito igitur præferenda hic sunt illa quæ abstergendo tantum agunt, & aquositate sua Urinam proliciunt & pellunt. Quomodo notum est, potum paulo uberius sumtum id ipsum agere, & quod his temporibus frequenter fit, copiosam calidam haustam, cum injecta aliqua herba, hunc in finem commodissima, optime præstare, quæ non tam irritando, quam nimia sua copia ad Urinam deponendam urget, & secum heterogenea quævis educit. Neque minus semina quatuor frigida majora, indeque paratæ emulsiones huic scopo commode inserviunt, utpote in quibus nulla acredo, aut aliud quid nimium irritans aut fundens latet. Plura alia dantur Medicamenta, quæ hætenus quidem in usu Medico sunt, tamen, quoniam fortiora, non nisi prudenter in usum trahenda sunt, & in plurimis plane omittenda, cum præsertim mitiora ejusdem generis ad manum sint. Ut enim supra dixi, respiciendum esse ad ventriculum, ejusque constitutionem sensibilitatemque;

que ; ita quotidiana docet observatio , quasdam personas spiritus non solum illos, qui magna vi ignis ex Mineralibus parantur , sed ne quidem Volatiles Vinosos ex vegetabilibus perferre posse : De priorum vero noxa, si non fuerint admodum diluti & correcti, plurimæ extant Medicorum prudentium querelæ. Unicum lubet adducere exemplum ex *Tulp. l. 3. c. 44.* de oleo Vitrioli , à chirurgi famulo sive considerate, sive improvide in os infuso , pluribus obortis symptomatibus , & tota Massa sanguinea corrupta , & remittere ad *CL. Conring. l. de Medic. Hermet. c. 5.*


### XXXVII.

Possent etiam multa hic moneri in usum chirurgorum de fortioribus & acrioribus Medicamentis externis non in quibusvis corporibus adhibendis, non in decatulis & junioribus , cum constet, quid ante plures annos hic contigerit, adhibito oleo Vitrioli pueruli denti, tota inde maxilla exesa , mortuoque tandem puero : Sed nolumus prolixiores hic esse, cum alias fertilis hæc materia non paginas quasdam , sed integrum tractatum conscribendi ansam summo jure dare posset. Interim fatemur ingenuè, uti in reliquis, ita & hic quoque locum habere, illud monitum *Celsil. l. 1. præf. Vix ulla perpetua præcepta ars Medicinalis recipit, non secus ac illud, quod est apud Hipp. in ep. ad Cratevam* ἡ γὰρ ἢ αὐτὴ καὶ μία φύσις ἀπάντων, non enim est omnium una eademque natura. Imo concedimus, posse aliquando nimia cautela in morborum curationibus, nimiaque timiditate , ut alias temeritate , peccari. Nec contemnendum est grave *Prosp. Martiani comment. in lib. Hipp. de decent. Ornat.* judicium hac de re, ubi



ita loquitur : *Plures Medicorum ut calumniam devitent, propriam existimationem pluris facientes, quam egrorum salutem, nullum magnæ efficacie præsidium præscribunt. Nam si verbi gratia sanguinem mittunt, tres vel quatuor uncias non excedunt, si pharmacum exhibent, à Manna. syrup. ros. solut. similibus non recedunt, eaq; exhibent quantitate, ut infra mediocritatem potius quam supra evacuent, qua quidem medendiratione Medici prædicti tuto sibi ipsis caventes, miseros ægotantes in vitæ discrimen sæpe trabunt. Verum in hac re, ut in ipsa quantitate medicamentorum, determinanda aliquid est, quod nec dici nec scribi potest, sed diligenti observatione & longo usu addisci debet. Interim incipiens Medicus medio tutissimus ibit, & omnia nimia naturæ esse inimica ex Hippocrate diligenter secum perpendet.*




  
**S**In natura capax, tempus, doctri-  
na, locique  
Egregium formant medicum,  
ceu Cousid inquit,  
O Agnate Tuum merito celebrabere  
nomen,  
In Te namque uno conspirant singula  
amicè.  
Naturam tribuère *Pater*, qui maximus  
iple  
Ægris auxiliator adest, *Auus*, & genus o-  
mne  
*Konnerdingorum*, genuina propago Galeni.  
Cœtera quid referam, studiis data tempo-  
ra, & ipsam  
Doctrinam, præsens testatur pagina, nec  
non  
Gratia RUDOLPHI AUGUSTI, cui fata  
retardes!

Si-

Sique locos numerem, quos ceu merca-  
tum adiisti

Pœonias merces, haut urbes, climata  
noto.

Macte igitur virtute tua, dignissime  
jater,

Et gentilitias agita felicior usque

Artes, & proavos supera celeberrimus  
usque.

*Ita Honor. mo Dn. Agnato suo  
ἀγαπητικῶς gratulatur*

**CONRADUS BARTHOLDUS Behrens.**

Artis medicæ Doctor, Hildesie in  
patria Practicus.